

hibere, ut ex accessu tuo ecclesie predictae facultas^{a)} suas grauari | [non doleant] et opinioni tue in hoc | [non uideatur] derogari. Verum hoc tuam | [uolumus] discretionem diligenter aduertere, quod | ab ecclesiis illis nil unquam preter uictualia occasione tui laboris requiras. [§ 2] De | remissione etiam eis^{b)} qui beati Ol[au]i^{c)} lim[ina] de | diuersis partibus [expetunt, indul]genda tuam | uolumus di[scre]tionem certa cognitione | tenere, quod huiusmodi indulgentie a Romanis | pontificibus non nisi in locis, ubi ipsi presentes fuerint, et Hospitalariis atque Templariis fieri consueuerunt. Tu uero ecclesie tibi commisse necessitatem et agentis etiam qualitatem diligenter attendens et alia, que in hiis fuerint attendenda^{d)}, ad animum studiosius reuocans secundum discretionem tibi a Deo datam aduenientibus et eidem ecclesie de bonis suis conferentibus remissionem ita conuenientius ualeas indulgere, ut propter dissolutionem nimiam ad[uenientibus] delinquendi non prebeatur occasio uel propter necessitatem quamlibet in desperationem [cadere non] cogantur. Dat. Beneuent. IIII idus decembris.

12.

Paris, Bibl. nat. lat. 3922 A fol. 164a. (1190—91).

Idem Asloensi electo libro eodem.

[§ 1] Perpendimus ex litteris tuis, quod quidam sacerdos tue diocesis pro eo, quod se filium regis nominare presumpsit et armis arreptis in provincia sedicionem fecit et guerram, a dilecto filio H. comite Neowargiensi fratre^{e)} nobilis viri Sueri^{f)} per uicos primo iussus est fustigari, qui postea eius mandato patibulo traditus expiravit. Quia igitur tam ipsum comitem quam alios huius facti participes uelle super hoc satisfacere intimasti, presenti pagina duximus respondendum, quod si memoratus sacerdos tali modo excessit et arma ferens non propulsando iniuriam set eam inferendo fuit occisus, non uidetur nobis, quod interfectores eiusdem propter hoc ad optinendam absolutionem apostolicam sedem adire cogantur.

^{a)} Es fehlen 2½ Zeilen; dem Sinne nach ergänzt unter Benutzung der einschlägigen Dekretale c. 6 X 3, 39. ^{b)} fehlt. ^{c)} el. .; vgl. S. 370 Anm. 2. ^{d)} folgt et. ^{e)} fris. ^{f)} suer.